



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

7. Aprilis. Imperium magis impatiens, quàm disciplinæ cupidum, arguit  
castigatio justò frequentior. S. Ignat. vitæ l. 3. n. 36.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

ejus imaginem in sterquilinio hærere fines,  
cùm eruere queas? tantò pulchrior hæc  
imago, quantò Deo accedit propior. De-  
tergere sordes, amici munus, & testimo-  
nium est.

Quanti Christo animæ constitère? sunt  
merces infiniti pretii; tanti laboris, quan-  
ta ejus passio, fructus sunt; has qui non  
curat ab interitu, Redemptorem non  
amat. Cura ore, cura calamo, cura opere.

### 7. Aprilis.

*Imperium magis impatiens, quàm disciplina  
na cupidum, arguit castigatio justò fre-  
quentior.* S. Ignat. vitæ l. 3. n. 36.

**Q**ui singula singulorum errata vindi-  
care vult, omnes tollere debet homi-  
nes, cùm nemo sine crimine vivat. Vitia  
námque erunt, quàm diu homines.

Sæpe malum curatur prudenti dissimula-  
tione, quod immodicâ curâ exasperatum  
fuiſſet. Multis medetur tempus, alia spon-  
te veniunt ad maturitatem, ulcera & pus  
mali fontem ipsa effundunt.

Quoties pœna frequentior auxit ma-  
lum! augebitque semper, quoties pudorem  
pœna frequentior excusserit; quo semel

pulso audet semper pejora irritata voluntas.

Major persæpe defectus est punientis quàm puniendi: hic fragilitatis, ille passionis fructus est. Ex te documentũ cape, quocum aliis fieri expediat? si pro quolibet errore tibi censor incumberet, quã ferres?

### 8. Aprilis.

*Fallendi temporis causã ad te venientibus de morte, de iudicio, similibusque ausuris, qua istiusmodi hominum, quamvis insurduerint, mordaciter aures radunt occurre: ita tibi & illis consules; vel nim redibunt meliores, vel suffuranti tibi tempori deinceps abstinebunt. S. Igitur vitæ l. 4. §. 20.*

**N**ihil pretiosius tempore, & hujus sunt amici, malo sanè damnosissimi si absque fructu, si in frivola consumatur.

Avarum hîc esse oportet, nihil temporis indulgendum sine fœnore; si te, si aures si linguam commodas, exige animum, accipe compunctionem censûs loco, fructum collige spiritualement.

Esto peritus Alchimista: ex re qualibet aurum elice, De bellis, de negotiis illi